

piis sanctorum precibus et meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut capella beatae Mariae virginis et sanctae Annae, Wangelist vulgariter nuncupata, situata prope oppidum Hameln Mindensis dioeceseos, congruis frequentetur honoribus et a Christi fidelibus jugiter veneretur necnon in suis structuris et aedificiis debite reparetur, conservetur et manuteneatur, librisque, calicibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasticis ac rebus aliis pro divino cultu necessariis decenter muniatur, utque Christi fideles ipsi eo libentius causa devotionis confluant ad eandem et ad reparationem, conservationem, manutentionem ac munitionem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, nos cardinales praefati, videlicet quilibet nostrum, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere poenitentibus et confessis, qui dictam capellam in annunciationis ejusdem beatae Mariae virginis, sanctae Magdalenae, sancti Johannis evangelistae de mense Decembris, sancti Georgii et ipsius capellae dedicationis diebus festivitatum a primis vespers usque ad secundas vespers inclusive devote visitaverint annuatim et ad praemissa manus porrexerint adjutrices, ut praefertur, pro singulis festivitatum diebus praedictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis poenitentiis [misericorditer] in Domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium et singulorum fidem praemissorum litteras nostras [exinde] fieri moreque solito sigillorum jussimus appensione muniri. Datum Romae in domibus nostris sub anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo nono, die vero prima mensis Julii pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Innocentii divina providentia papae octavi anno quinto.